

038

036

042

032

047

027

087

137

537

Ende

Anfang

27

est in laesione et vulneratione, quantum est in intoxicatione (**b**)
veneni ejus, habet enim dentes venenosos et hoc, quod mordet,
praeter vulnus intoxicat. Hae bestiae capiuntur juxta Cahirum et
Alexandriam et datur unus juvenis pro uno ducato. Capiuntur
autem cum humanis stercorebus; habet enim quasdam naturales
infirmitates, quibus dum se gravatum sentit, sterco humanum
quaerit, comedit et convalescit. Suspendunt ergo venatores vas
cum stercorebus in altam arborem, quam dum bestia ascendit,
illoco a venatoribus capit. Recitatur in Chronica martyr. sub
Heinrico tertio. Dum leopardus hominem vulnerat, tunc infinita
multitudo murium accurrit, et super ipsum mingunt, donec mori-
riatur, nec potest protegi a muribus. Dolosus est leopardus, ita,
ut etiam leonem dolo vincat: fudit enim sibi specum in terram
cum duobus foraminibus, ita quod per unum foramen intrat et
per alterum exit, et ista foramina lata et patentia facit, in medio
autem ipsum specum strictum facit. Dum autem leo ipsum in-
sequitur, currit in specum, quem leo sequitur, etiam intromittit
se et, dum in medium venerit, per strictum ire non potest, sed
captus tenetur et leopardus, qui prius per foramen evasit, reingre-
ditur per aliud, sequens leonem in stricto laborantem et ipsum
a tergo laniat, mordet, lacerat et occidit.

Deinde duxit nos in atrium septum, in quo vidimus tres
struthiones grandes, quos capiunt in deserto, quorum saepe vestigia
vidimus in eremo. Est autem struthio avis paene bestialis, grande
habens corpus, paene ad magnitudinem asini, ut dicit Vincent.
in Speculo Natur. Ita magnos tamen nos non vidimus, sed ut
oves. Habet pennas, sed numquam eis utitur ad volandum, alas
habet tenues et plumas sicut lanam, in eundo alas erigit, adeoque
in terra currit, ut equos celeritate praecedat, quos etiam prose-
quitur et fugat, nec eos videre potest propter naturalem inimi-
citiam. Habet ungulas bisulcas, ad comprehendendos lapides, quos
emittit in fuga contra insequentes. Calidissimae naturae est, ita,
ut ferrum comedat et digerat, calvescit etiam ita, ut totaliter
nudus fiat, sed habet pellem durissimam contra frigus. Dum venit
tempus, ut ova pariat, ad stellas plejades oculos levat, nec ovat,
nisi ipsos videat, ova autem in sabulo abscondit et eorum obli-
viscitur in arena, solis autem calore excubantur; egressis autem
pulliculis cum gaudio mater eos suscipit et quos in ovo contem-

